



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 87. Franciæ Rex bellum adversus Cæsarem exorsus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

Sæc. XVI.
A.C. 1552.

infectabantur, pertinentia militum suorum deprædationi permisit. Insuper civibus injuriam quovis pacto inferri, vel eorum bona diripi severe prohibebat; quippe ab aliis credi gestiebat, quod nullatenus divitias corradendi studio, sed unice oppressos sublevandi desiderio incitatus arma sumpsisset. Ceterum Imperator in tuto positus eo unice curas intendit, ut summa, qua posset, celeritate circa Alpes copias suas contraheret, ac non modo hostium suorum progressibus valide sese opponere, sed etiam Catholicorum partes strenue defendere valeret, quamdiu Passaviensis conventus ad vigesimam sextam Maii diem indictus perduraret.

§. LXXXVII.

Franciæ Rex bellum adversus Cæsarem exorsus.

Cum interea Foederati Protestantes in Germania tanto furore Cæsarem debellarent, Galliarum Rex, ut foederi cum eis inito satisfaceret, bellum quoque contra eundem movebat, atque unacum uxore sua Regina, ceteroque aulico comitatu Catalaunum usque contendebat, dum interim Montmorantius Vitriacum processerat, quo loco copiae undique confluebant. Recensebat Rex
in

in exercitu suo quindecim Germanorum ^{Sæcul. XVI.} millia, quadringentos cataphractos, ^{A.C. 1552.} duo equitum millia præter totidem Sclotarios equis instructos, quibus Carolus Lotharingus Albamariæ Dux, ac Guisii Ducis Frater præerat. Hoc exercitu instructus Montmorantius Connestabilis recta Tullum contendit, eumque mox cives traditis clavibus in urbem recepere: Rex vero Jonvillæ substitit ob inopinatum Reginæ morbum. Sub idem tempus Christina Francisci Lotharingiæ Ducis Vidua, ac Cæsaris Neptis Henricum Regem adibat, ut filii sui ditiones ab hostium incurſibus liberaret. Hanc Rex perbenigne excepit, eidemque mentem suam aperuit, propositis duobus articulis, quibus tamen Ducis fa haud parum turbabatur; Rex enim hæc petebat I. Juvenem Ducem filium suum in Gallias mittere haud cunctaretur, ut ibi unacum Delphino educaretur, spe facta, quod Rex illius curam in se suscipere, eumque honorificis omnino dignitatibus augere velit. Secundo Lotharingici Ducatus administrationi nuntium mittat, illamque Valdemontio Comiti cedat, eo quod eidem, cum Cæsaris Neptis esset, in præſenti rerum vicissitudine haud amplius hoc munus committi posset.